

VOTVM

PRO FELICI GV-
 BERNATIONE AD AM-
 PLISSIMOS ET SPECTATISSIMOS
 viros, sapientia, doctrina, pietate, atq; adeo omni ge-
 nere virtutum præstantissimos, Consulem ac Senato-
 res Torgenses, quibus Calendis Maij guber-
 natio Reipublicæ hujus anni com-
 missa est,

Editum à

GREGORIO NYMMAÑO

Torgensi.



VVITEBERGAE
 Excudebat Zacharias Lehman,
 Anno M. D. LXXXIII.





D Vm canis, ô juvenum doctissime, Srena se-
natus
Quamq; Magistratus res sit amata Deo.
Dignus honos: tum digna tuis se gloria ceptis
Extollat; promptâ quod tibi mente precor.
Celeste hos divos terrenaq; numina numen
Dixit & eximio jussit honore coli.
Hos colis: his venerans grataris & omine fausto
Excipis & claris fers nova vota viris.
Ergo te meritò rursus venerentur & ornent,
Et pergant Musis jure favere tuis.

*Christoph. Cornberger
Onoldinus.*

Non minus auxilii grave munus opusq; su-
premi (rentis
Esse Magistratum, quem summi cura Pa-
Rectoremq; dedit populis, legumq; Magistrum;
Quam vel in hanc vitam qui nos genuere, domumq;
Iusta ministrantes natis alimenta, gubernant;
Vel res divinas quibus est data cura tueri,
Et precibus fungi sacris, operaq; docendi:
Perpetua illius sit conservatio testis.

Nam DEVS imperiis nisi multum opus ipse be-
In cura superesse sua pateretur, abhorrens (nignè
Eripere auxilium solitum, nec regna vigerent
Consiliis, nec res fundamine publica tanto
Vsq; valeret inops propria se mole tenere:
Sed chaos antiquum mox redderet una ruina.
Ergo Magistratus DEVS auctor, & unicus idem
Patronus, vigilem non ponens pectore curam,
Incursum premit hostiles, illumq; periculis
Arcet. Nec tantum lorica in praelia regem
Aut galea, clypeo vè Macedonia vè Sarissa
Instruxit, seruoq; immanis fulmine Canna.
Sed premere aeterno solium ex adamante locatum
Iussit, ei cinctamq; Metu cinctamq; Pudore
Majestatem addens: quam SCEPTRI & LEGIS ho-
Reddidit insignem. cum Numen quippe videret (nore

A ij

Haud

Haud propria vi regna sibi depellere pestem,
Posse, nec humana studio consistere mentis:
Legum in praesidiis ea tutelaq; latere
Mandat, & hac statuit sapiens quasi moenia circum,
Ad leges populus mores componat ut omnis.
Hinc veluti densis nigrescunt cuncta tenebris,
Cum tegit obscura faciem ferrugine Phœbus:
Sic Themis imperiis quando negat aurea lumen,
Mersa jacent tenebris Iustumq; Piumq; profundis;
In quorum subeunt sedem fraudesq; doliq;
O pia dux vita lex, religionis & æqui
Custos, ò genitrix urbis, morumq; magistra:
O Lex persona contemtrix, portus & aura
Iusticia, decoris fons, utiliumq; creatrix:
O columen regni Lex, dia lucis imago,
Inculpatorumq; haud fallax umbra parentum.
At Sceptri & gladii curam ter maximus auctor
Ferre Magistratum jubet, ut reverentia legum,
Pœnarumq; metus sub religione fideq;
Quam docuit Christus, populos tueatur & urbes.
Quare etiam Verbi solem radiosq; micantes
Cum studet impietas tenebris obducere, ab aris
Cura Magistratus studeat depellere pestem,
Cum sedeat gemina custos vindexq; tabella.

At

At quibus unus amor recti, pietasq; pudorq;
 Constat ante oculos, patrio tueatur amore:
 Et miseris reddat jus æquum, & dona rependens
 Iusticiæ, merito dignas à sanguine pœnas
 Exigat, ac ferro sceleratum exterminet agmen,
 Seu sit inops, seu dives, agens discrimine nullo;
 Sic optata hilares exercent otia cives.
 Ut teneat portum superans freta sæva carina
 Haud satis ut spument adductis versa lacertis
 Æquora, remigiq; virum labor ossa fatiget:
 Sed, nisi, qui puppim Palinurus temperet, adsit,
 Qui studiosè undas exploret, & aëra captet
 Auribus, & dubii perdiscat sidera cœli,
 Fluctibus obruitur spoliata carina magistro,
 Atq; Noto convulsa viros exponit in undis.
 Sic pelago fluitans urbis regniq; carina,
 Haud maris evadet casum, aut potietur arena
 Optata, quando caret hac rectore perito.
 Egregia inde DEVM dat nomina regibus, ipse
 Auctor, qui vasti tractat moderamina mundi,
 Concessi quia sint fasces divinitus illis.

Ergo Magistratus quoties benefacta videmus,
 (Quæ mihi si centum linguas totidemq; dedisset
 Ora DEVS, nequeam verbis comprehendere cuncta)

A. iij

Stet

Stet quoq₃ apud memores meriti bene gratia tanti,
Auctoriq₃ DEO reddamus carmina grata.
Muneris utq₃ sui sit custos, idq₃ gubernet
Hinc etiam praesens, oremus supplice voce.

Hæc hodierna monet memori lux corde notare
Quanoctus imperii consueto more Senatus,
Patria Torga, decus capit, & moderamina rerum,
Tradit, consilio haud ignobilis HORSTIVS auctor
Consul, praecipuis patriæ de rebus habendo,
TRAVTMANNOPietate viro, & virtute celebri.
Ut felix igitur patria sit, ut utilis hujus
Imperium, facienda die sunt hac bona vota.

Ergo tibi meritas primum quas debeo gratas
Dico, summe parens, cui rerum sola potestas
Cunctarum, justis qui legibus oppida fundas,
Ut verbi hospitio pateant, ac munera praestent,
Hactenus auxilio cujus Respublica Torga
Salva stetit, floretq₃ viris prudentibus aucta.
Namq₃ orbat a ope divina sors vertit in Euros
Irrita conatus omnes, & naufraga puppis
Mergitur illius, nisi tu succurris ab alto.
Nunc illam quoq₃ opem non cassa in vota vocare
Me supreme sinas Genitor: rege Flaminis aura
Divini proceres, quorum se patria cura

Com-

Committit : da cura patrum tibi seruiat omnis,
Et justum colat, & communia commoda curet,
Nec cesset justo pensare examine causas :
Et decus ad solum Jovæ, patriæq; salutem
Commissa instituat pius omnia facta Senatus.
Dogma tui verbi sonet hoc sub preside sacro
Succedantq; oneri pietate fideq; probati,
Doctrinaq; graves atq; ambitionis inanes;
Qui nunquam à verbo in contraria sacra ferantur
Sed spretis opibus mundi, tua numina spectent,
Te veniente die, te decedente canendo.

Sic vigeat sincera Fides, Rectumq; Pudorq;
Cumq; sacris ita res acquirat publica vires;
Sic ubi felicem Phœbus confecerit annum,
TRAUTMANNVS QVE suo fuerit benè munere
Excipiat fatis fascis felicibus HOPPVS, (functus,
Perpetuetq; suos tibi patria, Majus honores.




00 A 6436

ULB Halle
004 931 300

3








Farbkarte #13

B.I.G.



VOTVM
PRO FELICIGV-
BERNATIONE AD AM-
PLISSIMOS ET SPECTATISSIMOS
viros, sapientia, doctrina, pietate, atq; adeo omni ge-
nere virtutum præstantissimos, Consulem ac Senato-
res Torgenses, quibus Calendis Maij guber-
natio Reipublicæ hujus anni com-
missa est,

Editum à
GREGORIO NYMMAÑO
Torgensi.



VVITEBERGAE
Excudebat Zacharias Lehman,
Anno M. D. LXXXIII.

